

**Dissertatio medico physiologica de reciproco atque mechanico sanguinis et fluidi nerve ad motum impulsu oder: dass das Blut und der Nerven-Safft der Bewegungen in Cörper verursach / [Johann Konrad Senner].**

**Contributors**

Senner, Johann Konrad.  
Cartheuser, Johann Friedrich, 1704-1777.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Typis Johannis Christiani Hilligeri, [1731]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/rjspatnc>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

D. f. 10 1

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICO - PHYSIOLOGICA

DE

RECIPROCO ATQVE MECHANICO  
SANGVINIS ET FLVIDI NERVE

AD

MOTVM IMPVLSV

Oder:

Daß das Blut und der Nerven-Saft die  
Bewegungen im Körper verursache.

QVAM

BENEVOLO GRATIOSISSIMÆ FACVLTATIS  
MEDICÆ

INDVLTV

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

AL Diem, Octobris MDCCXXXI.

PUBLICO AG PLACIDO ERUDITORVM EXAMINI

SUBMITTENT

PRÆSES

IOHANNES FRIDERICVS CARTHEVSE

Med. LICENTIAT.

ET

RESPONDENS

IOHANNES CONRADVS SENNER,

RAVENSPVRGO - SVEVVS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ

三

卷之三

1

*MAGNIFICIS,  
EXCELLENTISSIMIS, EXPERIENTISIMIS,  
ATQVE CELEERRIMIS.*

VIRIS  
D. D. FRIDERICO  
HOFFMANNO,

COMITI PALAT. CONSILIARIO MEDICO  
ET PROFESSORI REGIO, SOCIETATIS SCIENTIA-  
RVM CÆSAR. LEOPOLDINÆ, PETROPOLITANÆ,  
NEC NON REGIÆ BRITANNICÆ ET BORVSSICÆ  
SODALI MERITISSIMO NEC NON AMPLIS-  
SIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ  
SENIORI.

D. D. MICHAELI  
ALBERTI,

SACRÆ MAIESTATIS REGIÆ BORVSSICÆ  
AVLICO ET CONSISTORII MAGDEBURGENSIS  
CONSILIARIO, MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ  
NATVRALIS PROFESSORI PUBLICO  
ORDINARIO.

D. D.

D. D. JOANNI  
JVNCCKERO,

MEDICINÆ PROFESSORI PUBLICO  
ORDINARIO MERITISSIMO

PROMOTORIBVS  
AC PATRONIS

SVM ME COLENDIS.

Hanc Dissertationem

Omni Animi Cultu & Reverentia  
& Ea, qua decet Observantia,  
dedicat, offert, atque consecrat

Deditissimus Cultor

JOH. FRID. CARTHEVSER,



## PRÆFAMEN.

**V**Niversum lustrare in compendio, quod potiss. exhibet homo pro tædioso nequaquam labore, sed insignis potius utilitatis pariter atque oblationis negotio censendum esse, quilibet, cui naturæ inquisitio curæ cordique est, metum confitebitur. Haud inepte autem hominem universi nuncupari Compendium jam dudum agnovere *Plinius & Basilius Valentinius*, quorum prior hominem: *Universi Epitomen*; Posterior vero *Microcosmum* appellare consuevit, & quævis Basilius, quæ deprehenduntur in *Macrocosmo*, in *Microcosmo* quoque sive homine reperiri adserit. Hisce consentiunt itidem *Schröderus & Quercetanus*. Alter enim *Præf.* in *Thesaur. Pharmasolog.* hominem, *Universi* vocat *Complementum*. Alter vero *Lib. de Arte med. medicatrice Cap. 22.* ex *Macrobio Parvum* dicit *Mundum*, & ipse quoque prætermisis aliis ita de homine differit: *In homine tanquam in Microcosmo omnia ut in Macrocosmo*, sed longe spirituosa & præstantiora

continentur, & paulo post: *Quin imo non tantum Macrocosmus sive Regnum naturale, id est, omnia, quæ in magna illo mundo sunt in homine concentrantur, sed & angelica indole beatus est, atque insuper divinæ Majestatis habitaculum destinatum.* Ejusdem quoque jam dudum fuit Sententiæ Gregorius Nazianzenus init. Lib. de Hominis Opificio ubi nim. inquit: *hominem nempe a Deo post reliqua factum fuisse, ut Deus in ipso exprimeret, sub brevi quodam Compendio, quicquid diffuse antea fecerat.* Digna hinc imo dignissima machina humana attenta cujuscunque contemplatione censenda est; Ex illa etenim cominodum pariter atque oblectamentum, ut jam supra dictum, redundat insigne. Siquidem ex creato corpore hoc artificiosissimo in Creatoris deducimus cognitionem, unde Chrysostomus quoque: *Deum qui vult nosse, inquit, se ipsum ut noscat, necesse est;* Et Basilius: *accarata hominis cognitio sufficienter te manuducit ad Dei contemplationem.* Superat homo præstantia quævis reliqua animantia; solus erecta prædictus existit corporis figura, *ut cœlum juxta gentilis Philosophi Anaxagoræ effatum intueri, & stellas videre queat;* De hujus quoque erectæ figuræ præstantia illud notandum est Boetii Lib. de Consolat. Philos. Metr. 5.

*Unica gens hominum celsum levat altius eacumēt  
 Atque levis recto stat corpore, despicitque terras  
 Heu nisi terrenus male desidis, admonet figura  
 In sublime feras animam quoque, ne gravata pessum  
 Inferior stdat mens, corpore celsius levato.*

Necessaria imprimis atque utilis illis intimior corporis humani ejusdeinde naturæ consideratio existit, qui sese studio medico consecrarunt, ut suum recte cognoscant objectum, cui mederi in morbis student.

Sciendum enim est juxta Galenum Lib. I. de Loc. affect. qua parte morbus veniat, quibus causis vigeat, & ex actionum ratione sanitatem sive nutantem sive constantem colligere debemus, ut inde quibus remedios, quaque via ad pristinum restituenda, doceamur. Quis enim corruptam machinam, quis collapsum domicilium restaurare valet, & ad pristinam reducere integritatem? nisi de machina æque ac domo earundemque partibus ratione substantiæ, figuræ, connexionis, & usus exactam sibi antea acquisiverit cognitionem. Hinc juxta Hipp. Lib. de Officio Medici: principium sermonis in arte medica natura corporis sit, necesse est. Quare qui secus agit, temere agit, & Empiricorum more procedit, qui soli innituntur Experienciam, nullo habito respectu ad diversitatem subjecti, & causarum, quique remediiorum vires respectu prudentis factæ relationis ad corporis ægrotantis naturam ignorant, atque proinde eadem semper, quæ semel in hoc vel illo affectu proficia experti sunt, sine discrimine applicant. Hinc etiam juxta Galen. Aphor. Lib. I. Aph. I. aliter fieri haud potest, quin sæpiissime, temerariæ experientia finis sit hominis internecio. Pro iucundo quoque opere corporis humani intimior consideratio habenda est, quippe quod automaton existit hydraulico-mechanicum omnium excellentissimum, nullo modo imitandum, ex partibus fluidis æque ac solidis tanto artificio compositum, ut partes solidæ in statu naturali ac sano, symmetria præstantissima, structura convenientissima, & nexu optimo; fluidæ vero temperie fluiditate & indole balsamica gaudeant. Et quod notatu & admiratione dignissimum est, utrasque elasticitate præeditas deprehendimus insigni, quæ jure

jure pro plurimorum motuum ac sensuum causa primaria reputanda est ; siquidem mediante motu hoc elasticò solida propellunt fluida , eaque rursus ad motum incitant solida, atque a perfecto hoc & reciproco nisus & renisus æquilibrio vita dependet ac sanitas. Per solidorum autem canales duo primaria feruntur fluida, sanguis nimirum ac liquidum nervum spirituosum , quæ continuo nec interrupto circulo, quamdiu vivimus & sanitatis integritate fruimur, corporis humani solidas partes pervadunt, hinc motorem habeant necesse est. Quisnam autem ille sit in præsenti hac Dissertatione disquirere decrevimus ; cui labori, ut Numen benignissimum benedicat , est quod humillime & devotissime precamur. De cetero beneyolum Lectorem enixe rogamus, ut placide de hoc labore judicet ; cuilibet enim satisfacere, & in sentiendo placere, impossibile est. Juxta Job. Francis. Picum enim Lib. 2. stud. divin. § human. philos. Cap. 6. Quot capita, tot fere sententiae sunt ac qui veritate magis nituntur , saepe magis oppugnantur , cum quod omnia judicia recta non sunt , tum quod falsa interdum probabiliora veris. Itaque nullus a reprehensione vel justa, vel injusta omnino immunis ; sed § quæ etiam suapte natura sunt vera , ob intellectus insirmitatem magis creduntur , quam sciuntur. Laboramus nimirum omnes multa ignorantiae caligine.

## §. I.

**C**orpus humanum machinam nuncupare haud ineptum est ; siquidem juxta Bagl. Med. Solidor. Canon. 42. in Op. p. 483. In liquidis animati corporis manifeste observatur Mechanice chymica digestionum, coctionum fermentationum, despumationum, exalta-

altationum, præcipitationem. In solidis autem Mechanice cunei, vectis, elateris, funipenduli, projectionum, resistentiæ Oscillationis. In utrisque vero simul junctis certo patent regulæ æquilibrii, proportionis, centri gravitatis, resistentiarum, projectionum &c. Machina autem hæc ex duplicitis generis partibus solidis nimirum ac fluidis artificiosissime & mirifice, ut cuilibet, qui eandem contemplatur, patescit, contexta atque conflata est. Quævis autem partes solidæ ex fibrarum similarium congerie, variorum interventu fluidorum per combinationem firmiorem sua traxerunt primordia, atque elatere gaudent mirabili, cuius ope contrahere sese, & postmodum iterum restituere valent.

## §. II.

Hæc elasticitas autem, quamdiu debita adest, ac remanet fibrarum flexilitas, constanter perdurat; Ob inductam proinde partibus diversis potissimum ossibus successive duritiem elasticus hic motus maxima ex parte destruitur; Partes etenim crassiores Salino-Terrestres, dum temporis successu ex fluidis per solidorum canales currentibus in fibrarum interstitia deponuntur, flexilitatem deperdunt, & duritiem iisdem inducunt insignem. In hoc autem canale plures deponuntur ac præcipitantur partes crassiores ac graviores, in isto vero plures subtiliores secernuntur ac leviores, hinc etiam pars altera majorem altera successively acquirit duritiem, causa, a diversa vasorum structura, & ex hac resultante vel tardiori vel celeriori humorum cursu in iisdem, dependente; Siquidem rationi congruit & experientiæ: fluida cursu quo ferunrur in aliquo canali, celeriori, eo subtiliora ac leviora: quo tardiori contra, eo crassiora ac graviora deponere ac secer-

nere contenta ; uti hoc illustratur ac confirmatur per flumina macrocosmi, quæ quo lentius procedunt, eo graviores ac crassiores ad littora & fundum deponunt impuritates, quas cum rapidius adhuc current, valide secum abripiebant. Quicquid autem juxta jam citatam Basilii sententiam est in macrocosmo, id quoque est in microcosmo, & leges hydrostaticæ sunt universales. *Hinc Medici Hermetici quoque sanguinem &c. in corpore microcosmi collocant, ut mare vel Nilum in toto macrocosmo, & aliqua ejusdem regione constituunt. Vid. QUERCETAN. Art. Med. Pract. Hist. de Epilepsia.*

### §. III.

Dictæ autem partes solidæ in canalibus suis diversa ratione naturæ & subtilitatis fluida vehunt, quorum primaria atque universalissima sanguis & Liquidum nerveum (haud plenarie tamen exclusa lympha) dicenda sunt, quippe quæ veloci continuo nec interrupto in statu fano, circuito, partes corporis quascunque pervadunt, atque motus, sensus, & nutritionis earundem existunt autores. Laudati autem effectus cum præcipue mediante motu circulare præstentur, causam motus utriusque hujus fluidi eruere in præsenti allaborabimus.

### §. IV.

Hanc vero inquisituris de sanguine pariter ac fluido nervo quedam prænotare, quidque per duo ista fluida intelligatur in Medicina, recensere placet. *Decernere enim prius de nominibus oportet juxta GALENUM Lib. I. de temp. Cap. 7. quæ in habendo sermone nobis necessario incident, ne juxta eundem Lib. III. SIMPL. Cap. 12. conturbatus nominum usus rerum ipsarum cognitionem quoque conturbet.* Per sanguinem autem quid vulgo intelligatur, notissimum est : Purpureum nim. illud fluidum, quod in arteriis

arteriis æque ac venis corporis humani continetur, & jure vita thesaurus nuncupari meretur. Extra Medicinam ab Autoribus latinis in sensu allegorico sumitur quoque pro Vigore animi; siquidem CICERO ad ATTIC. Lib. 4. inquit: *Amisimus, mi Pompani, omnem succum & sanguinem, sed etiam colorem & speciem pristinam civitatis.* Progeniem quoque subinde denotare ex Autoribus constat; VIRGILIVS enim Lib. 2. ÆNEID. dicit: *Hortamur fari, quo sanguine cretus;* & jam laudatus CICERO *Orat. pro Rosc. Amer.* *Magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem, paternus maternusque sanguis.* Sed in sensu hoc allegorico minime accipimus eundem, verum intelligimus, ut jam dictum fuit, liquidum illud balsamicum atque elasticum, quod in animantibus arreriosos atque venosos replet canales, & primarium corporis constituit thesaurum, cuius existentiam haud quisquam in dubium vocabit, dum illud apertissime semper cuiusvis subjicitur contemplationi.

### §. V.

Naturam tamen ejusdem ac genesin uberioris paulo considerare necessarium erit, ut ista, quæ præstare dicuntur in sequentibus, eo melius cognoscantur. Collective autem sumitus sanguis fluidum existit gelatinosum, balsamicum, & elasticum, coloris in statu naturali ac sano rubicundi, saporis paululum & temperate salini atque subdulcis, odoris nullius evidenter; Componitur ex particulis salinis ammoniacalis fere indolis, sale hoc genito ex amico acidi & alcalici connubio particulis Sulphureooleosis optime contemperato; quasdam quoque particulas crassiores terrestres sibimet habet immixtas, quæ cum præcedentibus optime quoad quantitatem, numerum ac

dispositionem unitæ purpureos sanguinis globulos (*vid. LOEWENHOCK. Arcan. natur.*) sufficienti blandi ac gelatinosi humidi terosi quantitati innatantes constituunt. Interim tamen notandum est, particulas Salino-Sulphureas longe quantitate antecedere particulas terrestres. Quibusvis denique intermediis sanguinis porulis atque intersticiis subtile ac subtilissimæ aeris, ætheris & ignis particulæ insunt, exilissimos istos meatus pervadunt, & cum insigni gaudeant elasticitate pariter ac motus celeritate, elasticitatem sanguinis atq; calorem iisdem solummodo in acceptis ferendam esse arbitramur. Quælibet autem hæc sanguinis elementa multis stabiliri possent probationibus, sed ne instituti limites transgrediamur, silentio easdem prætermittimus. Plura quidem & fere innumera sanguini inesse dicuntur ab HIPPOCRATE, quando *Lib. de prisca Medicina* inquit: *Inest in homine et amarum et salsum et dulce, et acidum, et acerbum, et fluidum, et alia infinita, omnigenas facultates habentia.* Atque hæc quidem mixta, et inter se temperata, neque conspicua sunt, neque hominem laedunt. *Ubi vero quid horum secretum fuerit, tum et conspicuum est, et hominem laedit* - - Sed pro meo judicio quælibet ista commode ad pauca prædicta genera tanquam species referri possunt. Paucis tantummodo adhuc notari merentur fibrillulæ istæ quæ mediante elutriatione sanguinis per aquam facta in conspectum veniunt. De quibus in specie videri potest BERGERVS in *Physiol.* & BIDLOVS in *Diss. Physiolog. Anatom.* &c.

### §. VI.

Sanguis autem generatur ex alimentis, quæ quotidie homines adsumunt, atque in iisdem sanguis jam dudum, licet nondum formaliter, materialiter tamen latet. Hinc ut

ut sanguinis materiæ in alimentis iam delitescenti debita quoque forma inducatur, variis eadem modis præparari prius, atque resolvendo ac combinando adaptari debent. Alimenta proinde ori ingesta maxillarum & dentium ope comminuuntur, consinduntur & cum saliva ex gland. saliv. tam majoribus quam minoribus exstillante debite permixta lubricata per œsophagum detruduntur in ventriculum, in quo per motum ejusdem peristalticum attritum, menstruum temperate salinum, calorem & aerem expansum, rarefactum & premencem in substantiam pultiformem redacta successively quoad partem subtiliorem per pylori antrum destillant, quoad partem crassiorem ac graviorem vero per ventriculi contractionem fortiorum in idem propelluntur, ut in isto per motum intestinorum vermicularum, succum pancreaticum & bilem ulterius soluta ac divisa, & quoad partes homogeneas, secretis impuritatibus crassioribus, & deinceps per anum eliminandis, combinata iterum lacteum constituent liquor, qui exilia vasorum lacteorum orificia ingressus, ex iisdem in receptaculo chyli collectus, atque fluido nerveo spirituoso cum lympha remeante permixtus, per ductum thoracicum venam subclaviam sinistram, & cum sanguine in eadem confusus venam cayam, & tandem dextrum cordis ventriculum intrare queat.

### §. VII.

Verum enim vero sanguini confusus nondum tamen existit sanguis, sed ulteriori adhuc indiget divisione ac combinatione antequam in balsamicum, elasticum atque purpureum ejusmodi mutetur liquor. Hoc autem variis fieri debet organis mediante alterna compressione ac relaxatione. Iisdem vero primario accensenda sunt Cor,

Pulmones, Vasa quælibet sanguifera, potiss. arteriosa, Lien & alia corporis humani viscera, quæ chylus cum sanguine in circulo suo pervadere tenetur. Siquidem musculosa cordis machina chylum cum sanguine intra ventriculorum fuorum cavitates receptum alternante sua constrictione & relaxatione modo comprimit, modo relaxat, ita ut hoc modo crudiores chyli particulæ ulterius non solum resolutæ reddantur subtiliores, sed partes quoque homogeneæ & combinationi idoneæ firmius sibimet invicem uniantur. Pulmones alternatim expansi & collapsi preli munere funguntur, atque premendo ac conquassando chylum sanguini mixtum in vasculis suis exilibus melius adhuc resolvunt, ac quoad particulas homogeneas conjungunt. Vasa sanguifera potiss. arteriosa cœptum a corde & pulmonibus sanguificationis negotium continuant reciproco suo motu systolico & diastolico. Et lien quoque quem HIPP. Lib. 2. de Morb. Mulier. rarum & spongiosum & veluti alterum runcupat pulmonem, ob mirificum valorum suorum contextum & cellulosam substantiam chylo in sanguinem mutando inservit, hinc successive ex chylo purpurei sanguinis globuli per pressionem ac mutuum attritum quasi tornati resultant.

### §. VIII.

De coloris autem rubicundi genesi insignis inter Medicos viget dissensus. Alii enim solis fundamentis & rationibus chymicis, alii vero solis mechanicis innituntur. Chymici ex Sulphuris per Salia explicatione facta eundem deducunt, atque variis experimentis physicis colorum productionem concernentibus suam probare allaborant sententiam. Addu t quoque nonnulli, bilem chylo in intestino duodeno mixtam eidem prima quasi futuri coloris

loris purpurei rudimenta deinceps per motum ac pressio-  
nem in sanguine evolvenda imprimere, quoniam ista co-  
pioso gaudet principio sulphureo. *Vid. BAGL. Diss. 2. de  
Bilis natura, usu & morbis.* Ibi certo loco inquit: *Sed ut  
redeamus ad bilis usum, miscetur quoque cum chylo, ut  
primam eidem pro sanguificatione dispositionem beneficio o-  
lei seu sulphuris sui tingentis communicet; quod in se ru-  
bini instar nitet, in bile vero instar rubicundæ auri tinctu-  
ræ sub flavo cortice reconditæ flavessit.* Cœpta hæc in  
chylo pro sanguificatione tinctura invisibilis in eo est, cum  
retundatur, ac veluti obvolvatur ab acido gastrico & pan-  
creatio in eodem adhuc latentibus: sed per repetitas san-  
guinis circulationes aciditate retusa & absorpta, rubineus  
chyli color sub acidi tegmine latens in sanguine tandem ma-  
nifestatur.

### §. IX.

Chimicorum hæc sententia de sanguificatione neque  
inepta censenda, neque rejicienda est; siquidem coloris  
causa materialis in Sulphure ut plurimum quærenda est.  
Interim tamen quoque causa quædam requiritur proprietas  
& quasi formalis, quæ colorem efficiat; optime hanc mihi  
suggerere videntur Mechanici; qui omnem colorem a  
certa ac determinata lucis reflexi modificatione in corpo-  
ris colorati superficie facta deducunt. Ab hoc etenim  
corpore ob diversam particularum & pororum superfici-  
alium structuram, magnitudinem ac soliditatem plures,  
ab isto vero pauciores, ab alio fortius atque validius, ab  
alio contra debilius lucis radii versus oculos nostros re-  
flectuntur, unde necessario contingere debet, ut alia at-  
que alia semper in tunica retina commotio, & per conse-  
quens quoque diversa in anima dijudicatrice coloris idea

excitetur. Verum ut sanguini hæc applicemus, notandum est, sanguinis partem purpuream uti hoc ratione confirmatur & experientia, ex sphæricæ figuræ particulis constare, sive ex globulis rubicundis, quorum quilibet major deprehenditur, quam simplex chyli debite præparati particula; Siquidem sanguinis globuli tam exiles intrare nequeunt canaliculos, quos ingredi, ac percurrere valent particulæ chyli. Unde deinceps haud inepte concludendum est, unicum sanguinis purpurei globulum ex aliquot, & si Lœyvenhœckii observationibus indubia fides habenda est, ex sex particulis chyli minoribus compositum esse eo tamen modo ut sphæricam consequatur figuram, neutram quidem per solam statim in principio combinationem, sed successive quoque per variam organorum supra memoratorum pressionem, atque mutuum particulatum attritum. Ob auctam proinde particularum prædictarum magnitudinem, mutatamque figuram, in superficie potiss. factam alia subsequitur lucis reflexio, & necessario quoque aliis & quidem in sanguine ob compositionem &c. specificam rubicundus oritur color. Chyli etenim particulæ sunt densiores hinc lucem maxima ex parte reflectunt, sanguinis vero globuli laxiores ac rares hinc lucem ex parte absorbent, & in poris suis retinent, unde necessario color oritur ex luce mixtus & umbra. WALDSCHMIDII hinc per cæteris mihi placet de coloris purpurei genesi sententia, quando §. 17. Cap. 3. *Institut. Med. rational.* inquit: *sanguinem sui ipsius esse opificem;* nam quando, pergit, particulæ sulphureæ sive pingues Oleosæ cum Salinis a copiosissima materia ætherea in corde exagitatae, & in orbem celerrime volutæ magis rescant, & arctius conjunguntur, talem sanguis accipit figuram

guram & superficiem, ut radii luminares inde reflexi ita modificantur, ut sensum coloris rubri in nobis excitent.

### §. X.

Sed cognita nunc partis purpureæ Massæ sanguineæ natura ac genesi, pauca adhuc addere placet de parte altera serosa, quæ nihil aliud est, nisi aqua gelatinosa, cui prædicti globuli rubicundi & alia ramenta a globulis decidunt, tam pura, quam impura deinceps se- & excernenda, innatant. Superat portio hæc serosa partem purpuream, ita ut juxta FABRICIVM AB AQVAPENDENTE, & MARCVM AVRELIVM SEVERINVM duplum plus seri, quam sanguinis purpuræ reperiatur, & juxta BERGERVM Phys. p. 155. maxima pars chyli mutetur in lympham, minima vero in globulos purpureos.

### §. XI.

Ab indolis Massæ sanguineæ iustificatione ad circulum ejusdem progrediendum est, quem ita peragi observavimus. Sangvis e sinistro cordis ventriculo egressus intrat arteriam magnam, per quam in ramos primo duos majores, & deinceps innumeros ramulos minores distributam ad quasvis & remotissimas corporis partes progreditur, easdemque pervadit & tandem rursus in subtilissimas vcnarum ramifications per anastomosin juxta Ruyschium aliasque cum extremis arteriolis connexas ingressus, atque ex ramulis minoribus in duos ultimo maiores Venæ cavæ tandem in unum communem desinentes collectus rursus infunditur dextro cordis ventriculo, facta autem ejusdem systolica constrictione propellitur porro per arteriam pulmonalem in pulmones, quorum postquam subtilissima permeavit vascula, per venam pulmonalem tandem ad sinistrum cordis ventriculum iterum reddit, & deinceps circulum suum semel

absolutum reiteratis vicibus, quamdiu machinæ perstat integritas, suscipit, peragit, atque continuat. Paulo ante affirmata arteriarum & venarum inosculatio negatur quidem a quibusdam, qui sanguinem ex arteriolis in partium porositates effluere, & ex hisce deinceps ab hiantibus venarum orificiis denuo resorberi adserunt. Quoniam autem hi pori juxta Excell. nostrum D. D. HOFFMANNVM, Med. Syst. Tom. 6. p. 109. non confusam, sed ordinatam habere debent constructionem, ut sanguis ex arteriolis effluens in venas recipi queat, ne stases & extravasationes oriantur, parum ab invicem contrariæ hæ visæ sententiæ differre mihi videntur. Sub finem hujus paragraphi adhuc tantummodo respectu circulationis sanguinis notandum est, sanguinem per venam cavam & pulmonalem redeuntem interea, dum cordis ventriculi systolice constringuntur, expansas intrare auriculas, donec ex iisdem rursus in apertos per fibrarum relaxationem ventriculos mearè valeat, ut hoc modo continuus, nec interruptus præstetur sanguinis circulus; Ventriculi hinc & auriculæ cordis alterna gaudent constrictione & relaxazione, ita ut, quando auriculæ constringuntur, & suam experiuntur systolen, ventriculi expandantur, atque suam habent diastolen & vice versa.

### §. XII.

Explicandæ ac recensendæ nunc quoque essent Causæ motus sanguinis tam Efficientes, quam Instrumentales, sed nostro convenientius videtur proposito parem quoque de Liquido nerveo tanquam altero præcipuo corporis nostri fluido prius præmittere cognitionem, ut melius deinceps causæ circulationis fluidi utriusque tradi queant. Evolvendum proinde suscipimus Liquidum s. Fluidum nervum spirituosum, sive Spiritus. Fluidum autem ideo nuncupamus,

pamus, quod quibusvis gaudeat fluidorum proprietatibus; Siquidem corpus existit ex particulis contiguis & sibimet invicem saltem aggregatis constans, & peregrinis contineri debet terminis. Nerveum dicitur a receptaculis, sive ab ipsis corporis nostri partibus, quarum exilissimos percurrit atque pervadit canaliculos, quæque sub Nervorum nomine in Medicina cognita existunt. Quid autem per nervos in Medica Arte intelligatur cuilibet in Anatomia etiam leviter saltem versato notissimum est; Fasciculi nimirum canaliculorum exilissimorum, qui ex medullaris cerebri substantiæ fibrillulis sua traxerunt primordia, & duplii dura nimirum ac pia meninge involuti totum perreptant corpus, atque omnibus ejusdem membris movendi sentiendi que vim subministrant.

### §. XIII.

Varia quoque significatione alia nervi vocabulum extra Medicinam adhiberi autorum latinorum scripta abunde testantur. Sic pro Robore ac viribus tam corporis, quam reipublicæ denotandis usurpatum legimus a CICERONE *Orat. Verr. 5. Omnibus*, ibi inquit, *nervis mihi contendendum est, ut omnes intelligent, & TERENT. in Eun. Digna a deo res est, ubi tu nervos intendas tuos.* Et iam laudatus CICERO *Orat. pro Lege Manilia*: *Etenim si vestigalia nervos esse reipublicæ semper duximus, cum certe ordinem, qui exercet illa, firmamentum ceterorum ordinum recte esse dicemus.* Alias significationes, quibus modo pro chorda arcus aut citharae modo pro vinculo &c. sumitur, prætermittimus silentio, cum easdem neque ad rem nostram conferre neque nervi significationem medicam ullum fugere censemus. Distinguuntur autem a Recentioribus in Duriores sive crassiores, & Molliores sive subtiliores, quorum

priores motui magis; posteriores vero sensui magis inservire dicuntur, *Vid. LOESCHERI Diss. de novo Smcci nervei motu.*

### §. XIV.

Fluidum hoc nerveum adpellavimus porro spirituosum sive Spiritus. Cum aliis itaque ne confundatur entibus, quæ vel veri existunt Spiritus vel itidem ut fluidum nostrum analogice Spirituum nomine insigniuntur, pauca quoque de Spiritus significatione prænotare placet. Spiritus autem proprie sumitur pro ente sive substantia immateriali, quales substantiæ spirituales post Deum creatorem ac Spiritum infinitum existunt, Angeli, Diaboli, & Anima nostra humana; Analogice vero aer, quem inspiramus & exspiramus, hinc CICERO *Lib. 2. de Nat. Deorum* inquit: *Tribus rebus animalium vita tenetur, cibo, potionē & spiritu.* Ventum quoque subinde in sensu analogico spiritum vocari ex VIRG. *Lib. 12. Aeneid.* cognoscimus: *ac velut Edoni Boreæ ait, cum spiritus alto insonat ægo.* Animi quoque Elationem interdum denotare ex saepius jam laudato CICERONE *Orat. pro Sylvo.* patet: *Res enim gestæ credo meæ, inquit, me nimis extulerunt, ac mihi nescio, quos spiritus attulerunt.* Chymici denique quælibet ea Medicamenta, quæ insigni pollent volatilitate ac subtilitate ob analogiam Spiritus vocare solent, licet corpora sint physica. Analogice hinc quoque fluidum hoc nerveum spirituosum, sive Spiritus adpellatur, & adpellari meretur. Non intelligitur enim juxta D. D. WED. *effatum hic substantia incorporea; sed corporea subtilis tamen facilime mobilis,* sive *spiritus* dicuntur non ob entitatem, sed analogiam a tenuitate raritate, levitate. *Vid. Ejusd. theorem. Med. p. 8. §. 24.* Nihil aliud hiuc denotant, nisi defectatissimam sanguinis portio-

portionem in cerebro secretam, sive Fluidum summe elasticum ac mobilissimum ex subtilissimis atque purissimis sanguinis purioris ramentis in cerebro secretis, atque particulis ætheris & aeris subtilioris, quæ priorum occupant interstitia ac poros, compositum. Unde evidentissime patet, neque spiritum immateriale, neque fluidum ratione præditum intelligi, (neque aliud præsupponi aut singi ens hirsutum, pileatum aut glabrum ac fere therebinthinatum &c.) Sed fluidum tantummodo, ut jam diximus corporis subtile tamen atque elasticum, quod ex sanguine secernitur & nervorum tubulos intrat, atque eodem fere modo ut sanguis motu gaudet circulari.

## §. XV.

Naturam hujus fluidi plane igneam esse multi celeberrimi atque perdocti existimant Medici, quorum censui præceteris subscribendus est D. BARTHOLOMÆVS DE MOOR Vid. *Diss. de Spiritibus igneis.* D. RIVINVS *Diss. de Spiritu hominis vital.* WILLISIVS *de Anima brutor.* aliique, quorum nomina brevitatis ergo silentio hic prætermittimus. Doctissimos autem hosce viros ideo fluido nervo igneam tribuisse naturam, ac si ut ignis actualis in nervis ureret, minime credendum est, sed ex multiplice ratione alia, & quidem partim ob summam mobilitatem raritatem ac levitatem, partim ob calorem, quem effective in corpore humano producit, partim ob facillimam per excellissimos etiam nervorum canaliculos penetrationem, ut hinc non ob entitatem sed analogiam ignei dicantur Spiritus. D. D. BAGLIVIVS hisce consentit, quando illud *Tract. de Anat. fibrar. & morb. solidor. p. 413.* in Operib. fluidum appellat summopere spirituosum tenue, clarum, & lucis radis affine. Et QVERCETANVS *Art. Med. Medicatr.*

p. 98. in Oper. ita de fluido hoc differit : At microcosmus homo, quum plantis seu vegetabilibus & animalibus vesca-tur, hoc est illorum Quintas Essentias & balsamicum illum spiritum in suum alimentum extrahat, propria & nativa sua concoctione ita præstante artificio chymico exstilat, su-blimat & circulat, hoc est virtute sua sensitiva & animali, quas in se omnes continet, ita agitat, deducit, acuit, & il-lustrat, in omnes partes convolvendo, & diducendo, ut pu-rissimum, subtilissimum ac cœlestissimum vitæ nectar perfici-at, hoc est Symphytum Emphytumque calorem, aut potius ignem fere æthereum naturæ humanæ productorem & con-servatorem &c. D. WALDSCHMIDIVS in Institut. Med.

rat. p. 23. Spiritum hunc nominat, quamdiu sanguini inest, vitalem, & esse eundem adserit subtiliorem sanguinis par-tem admodum activam, attenuatam & rarefactam quæ cor-pori vitam dat, atque calorem ; Secretum vero & nervos jam ingressum nuncupat animalem eumque sibi sub forma auræ alicujus subtilioris concipit, nec differre eundem ar-bitratur a vitali, nisi gradu & ratione subtilitatis. Præ-dictorum opinionibus de Spiritu nerveo optime quoque congruit Sententia SENNERTI, qui Spiritum hunc corpus tenuissimum, ac subtilissimum, calidum & purissimum ad-pellat, ex tenuissima & maxime sincera sanguinis parte ge-nitum, Animæ quasi cum corpore vinculum, actionumque re-dendarum maxime necessarium instrumentum. Vid. Institut.

Cap. 6. p. 44. Multæ adhuc aliæ Autorum opiniones de corporea ac subtili, nec non ignea fere fluidi nervei spiri-tuosi natura adferri possent, nisi ex allatis abunde jam pa-tescere existimarem, non intelligi hic spiritum immateria-lem ratione præditum, sed materialem, qui non ob entita-tem juxta Wedelium ut jam diximus, sed ob analogiam &

sub-

Subtilissimam summe activam atque elasticam indolem Spiritus dicitur, & dici meretur.

### §. XVI.

Fluidum autem hoc non solum veteribus cognitum fuit nomine; Siquidem alii, quorum primarius est HELMONTIUS idein nuncupare consueverunt Archeum, quasi partem corporis principem, alii Calidum innatum sive Θερμὸν ἔμφυτον sive σύμφυτον. Vid. SENNERT. Institut. Lib. I. Cap. 5. de Humido Radicali & Calido innato & GALENVS Lib. 2. Simpl. Medicam. facult. Cap. 9. ubi inquit: *Calor innatus est, quem in animali quoque nativum spiritum nominamus* &c. Alii Radicalem vitae Balsamum, uti de hoc differit QVERCETAN. Art. Med. Medicat. p. 100. sequentem in modum: *Mors nil nisi separatio, divulsio & consumptio Spiritus istius & radicalis vitae balsami est, a quo solo anima cum corpore colligatur & perstat.* Alii, ex quorum numero potiss. D. D. WEDELIUS est *Luculæ vitalis*, vel *Flammulæ vitalis* nomine insignire consueverunt, existimantes, quando ignis hic vitalis in sanguine & nervis ureret, hoc est liquidum istud debito elater, subtilitate ac puritate praeditum placide atque decenter per suos curreret canales, tamdiu vitam peritare & sanitatem, quamprimum vero extingueretur, hoc est, in motu suo naturali impeditum m overi desineret, mortem tunc adesse & totius machinæ humanæ quietem. Prædicti itaque Medici, licet subinde in denominationis vocabulis differant consentiunt tamen in adsignanda natura & indole, siquidem omnes Fluidum hoc nerveum pro Liquido corporeo subtilissimo tamen, mobilissimo & summe elasticō agnoscunt.

### §. XVII.

## §. XVII.

Varias quidem posuere differentias , atque Spiritum hunc distinxerunt ratione originis in Insitum & Influum, ratione officii vero in Animalem Vitalem & Naturalem , cui Genitalem sive Seminalem nonnulli jungere solent. Verum enim vero distinctiones hasce minime necessarias esse, arbitrator ; siquidem omnis corporum animantium spiritus materialis ratione essentiæ convenit , differt saltem ratione loci & gradus subtilitatis ; sufficere hinc videtur juxta WALDSCHMIDIVM *Inst. Med. rat.* p. 23. distinctio in Spiritum vitalem , qui sanguini adhuc permixtus est , & Animalem, qui jam secretus in nervis continetur, atque de quo in praesenti in specie sermo est. Minime quoque proinde probatur, Medicum quendam alias perdoctum tam varia, atque ridicula fere spiritibus humanis corporcis imposuisse nomina, tum ab officio, cum sede sua, ut putabat, desumpta ; Si quidem spiritus hic non solum natura & usu convenit, sed perpetuo etiam gaudet circulo, ut ideo constanter uni eiusdemque parti inhærere nequeat, sed cito partem quamcumque transfeundo, succedentibus particulis novis locum cedere cogatur. Scite de hisce SENNERTVS, qui alias multus quoque est in Spirituum numero, in *Inst.* p. 46. differit, licet ex aliorum, cui non accedit, sententia quando inquit : *De numero autem Spirituum horum magna Ē inter Medicos Ē Philosophos est dissensio, dum alii unum tantum spiritum scilicet vitalem, quem omnes concedunt, sufficere existimant ; qui substantia unus existens quandoque animalis, quandoque vitalis, quandoque naturalis dici queat, prout inservit actioni animali, vitali, aut naturali ēc.*

## §. XVIII.

Sub finem autem considerationis de fluidi nervei natura,

tura, notandum adhuc est, Liquidum hoc ex duplice constare materia; altera subtiliori ac spirituosa, altera vero crassiori ac lymphatica. Quarum posterior vehiculum tantummodo praebet priori, eam temperat, & nervorum nutritioni insimul destinata est; Impeditque præterea ob blandam suam indolem, quominus portio altera spirituosa nimis cito dissipetur, & cum impetu per nervorum canaliculos feratur, Prior vero præter alios usus posteriori maiorem activitatem subministrat, atque mobilitatem, ne forsan subsistat & hæreat in exilissimis nervorum canaliculis. Consentit huic sententiæ de duplice fluidi nervei substantia PITCARN. *in Elem. Med. Phys. Mathemat. Cap. 5.* ubi inquit: *Materia duplex in nervis continetur, una admodum mobilis, altera viscosior.* Priorem spiritum, posteriorem vero liquidum nerveum nuncupat. Et SANTO RINVS *Tract. de struct. ac motu fibræ §. 23.* ejusdem est sententiæ, dum ait: *Fluit per fibras e cerebro nerveus latex non omnime homogeneus, cuius scilicet partes, vel sint ejusdem omnino figuræ, vel ejusdem tenuitatis, sed habentes eandem cohesionem, eundem cohesionis gradum; sed succus ille tenuis quidem est, sed ejus partes non æque tenues sunt, aliæ enim tenuissimæ sunt, spiritus audiunt, aliæ minus tenues, seu majoris aliquantulum molis, e basin illius fluidi constituunt.* Prior autem materia oculis ob insignem subtilitatem aperte non subjicitur, sed ex effectibus est eruenda; posterior vero sæpius ex nervis potissimum opticis, qui reliquos superant crassitie, expressa conspici potest,

### §. XIX.

Considerata nunc fluidi nervei spirituosi natura ac indole, paucis quoque existentia ejusdem demonstranda erit, licet haud quisquam tam veterum quam recentiorum, paucos

si excipias Recentiores, de existentia ejusdem dubitaverit, & dubitet. Optime quoque jamdudum spartam hanc suscepunt, & abunde Spirituum existentiam demonstrarunt multi viri celeberrimi atque doctissimi, quibus in specie accessendi sunt WILLISIVS *Tract. de Anima brutorum*, RIVINVS *Diss. de Spiritu hominis vitali*, Excellentiss. noster D.D. HOFFMANNVS, BARTHOLOOMEVS DE MOOR, BELLINVS, BVRGGRAFFIVS, D.D. VATERVS Witeberg. aliquique. Actum hinc agere, & Iliada, ut dicitur, post Homerum canere mihi videor. Sed ordinis ergo paucis saltem partem hanc attingere placet. Primo itaque presupponendum esse existimo, nervos canaliculis gaudere exilissimis; Re vera autem nervis canaliculos inesse nudis etiam oculis in nervo optico dissecto atque compresso consipi potest. Multo magis autem isti patent, si accurata adhibeantur microscopia, quorum ope adjutus praeter alios in specie Lœvvenhoeckius horum canaliculorum cavitates plus vice simplici detexit. *Vid. Epist. ejusd. Physiol. 34. pag. 341.* Nervi igitur si gaudent canaliculis, fluidum quoque necessario per eosdem fluere debet; frustra enim a summo Conditore fabrefactos esse, nulla sana dictitat ratio; Et quod maximum est ipsa quoque experientia rationem hanc confirmat, siquidem cuilibet, qui Anatomiam etiam extremis saltem labris degustavit, ex nervis dissectis potiss. optico, qui reliquos omnes superat crassitie, singulisque ejusdem filamentis humiditatem licet parca sit, facta compressione emitti, notissimum est. Humidum quidem hoc pro lympha tantummodo atque succo nervorum nutricio habetur, nec participare dicitur de spiritus natura. Sed quilibet, qui nerveorum tubolorum insignem exilitatem, & lymphæ sibi relicta gelatinosam, atque ad coagulationem propria-

nissimam considerat indolem, mecum ut confiteatur, necesse est, aliud præterlympham adesse debere fluidum lympham subtilius, atque spirituosis, quod eandem imprægnando particulis suis subtilissimis ac mobilissimis, mobilem quoque subtilem & activam reddat, & ejusdem coagulum pariter & stasin in caniculis exilissimis præcaveat, & avertat, quæ sine spirituosa atque activa hac parte sæpiissime alias fieri possent. Hisce accedit, quod specialia organa secretoria in cerebro, speciales etiam ductus, qui secretum excipient, & speciale hinc quoque fluidum præsupponant.

### §. XX.

Omnium optime autem spirituosi hujus liquidi existentiam in nervis, eorundem suscepta demonstrat ligatura, qua facta, omnis in isto, quod intrat, membro motus & sensus, & si diutius durat, nutritio quoque perit & imminuitur *Conf. BELLINI & BOHNII experimenta.* Necessario exinde sequitur, liquidum quoddam subtile, elasticum ob analogiam spirituofum dicendum per nervos currere, cuius intercepto motui partis deinceps ad motum ineptitudo succedit, & sensus abolitio. Quod vero nervus ligatus non intumescat, multiplex in promptu est ratio. 1) quod lateralibus quoque gaudeat ramificationibus reticulariter propagatis, quas interea, dum ramus alter comprimitur, intrare valet fluidum in cursu suo ordinario ibi remoratum. 2) quod quantitas fluidi nervei sit minor, & summa ejusdem tenuitas hinc intumescentia, si quæ fieret, haud sensibilis esse potest. 3) quod tubuli nervei communi tunicæ membranaceæ sint involuti, quæ robore suo conspicuam ejusmodi intumescentiam impedire valet, *Vid. D.D. VATERI Diss. de Existentia Spirituum §. 15.* atque efficere ut fluidum hinc eo facilius in alios ramulos determinari queat ; Quælibet

hæc vegetabilium trunci ac caules illustrant, qvi licet comprimantur, nullo tamen modo intumescunt & copioso nihilo secus, de quo nullus dubitat, gaudent fluido, eoque præterea multo crassiori, liquido nerveo, quod continuo per canaliculos movetur. Silentio prætermitto motum peristalticum ventriculi & intestinorum, motum cordis systolicum & diastolicum in animantibus violenter peremptis & jam mortuis ad satis longum tempus post mortem adhuc durantem, & acus punctura insigniter excitatum, ut convulsivum quid præse ferat. Non attingo Paralyses, apoplexiā, Gangrēnam & Sphacelum &c. qui affectus quoque de denegato fluidi nervi influxu testantur, aliaque. Hanc enim de fluidi nervi existentia tractationem, considero tanquam rem partim per dicta jam satis claram, partim ab aliis evictam satis & optime demonstratam ; Cui præterea accedit, quod in præsenti ex instituto & uberiori de fluidi nervi existentia agere contra nostrum fit institutum. Ulterius itaque hujus materiae tractationi non immorabitur, sed allata sufficiant.


### §. XXI.

Ad explanandam igitur fluidi hujus spirituosi secretiōnem properabimus, & circulum. Secretiōnem quod attinet, consideranda prius sunt Órgana, in quibus fieri solet secretio, Cerebrum nimirū, Cerebellum & Medulla oblongata. In duobus prioribus primario notanda venit, duplex eorundem substantia, Cineritia nempe sive corticalis, in multos gyros divisa, & Medullaris sive alba. Cineritia juxta MALPIGHII sententiam censetur glandulosa, sed celeberrimus RVVSCHIVS variis modis & potissimum artificiosissimis suis injectionibus totam eandem vasculosam esse ostendit, ex subtilissimis carotidis internæ & vertebralīs propa-

propaginibus ortam. Siquidem carotis statim post aortæ ex sinistro cordis ventriculo egressum ex arcuato prædictæ arteriæ flexu oritur, & quidem quoad rânum dextrum in latere dextro, quoad sinistrum vero in latere sinistro; Deinceps recto ductu ad caput adscendens in collo in duos dividitur ramos, quorum alter externus, alter vero internus nuncupatur. Externus partibus capitis externis sanguinem largitur; Internus vero sub osse petroso per foramen quoddam in osse basilari existens in curvato flexu cranium penetrat, & dum sub dura matre progreditur, conjungitur cum arteria vertebrali, quæ ex arteria subclavia utrinque exorta, recto cursu per magnum occipitis foramen cerebrum ingressa est. Utraque deinde meninges intrat, & cerebrum varie incurvata, atque in subtiliores semper ramulos, qui tandem ob magis magisque auctam exilitatem, visui sese subdueunt, divisa corticalem non tantummodo cerebri substantiam constituit, sed meningibus quoque sufficientem communicat sanguinem.

### §. XXII.

Ex subtilissimis autem atque tenuissimis hisce extremis arteriarum propaginibus medullares tandem juxta RVYSCHIVM resultant tubuli, qui substantiam albam & medullam oblongatam constituunt, & ex aliquot hujusmodi tubulis in fasciculum collectis deinceps nervi oriuntut, qui capite egressi universum perreptant corpus, & fluidum spirituosum ubique in toto circumvehunt corpore. Sed plura de Cerebri dupli substantia, vasorum sanguiferorum ortu & progressu atque tubulis medullaribus ac nerveis legi possunt præcipue in RVYSCHII Scriptis in specie in *Epist. Problem. 17. Thes. Anat. 3. & LOEWENHOCKII Epist. phys. 34.* Sanguis tandem a secretionibus in cerebro residuus a



venis jugularibus & cervicalibus, quarum minimi ramuli cum extremis arteriarum ramificationibus per anastomosin existunt uniti, receptus, sinibus duræ matris infunditur, & tandem ex iisdem ad dextrum cordis ventriculum reducitur. Notari tantummodo adhuc meretur, semper in loco mutuæ arteriarum atque venarum inosculationis exiguos quosdam relinquere porulos laterales in tubulos medullares hiantes, per quos fluidum hoc spirituolum filtrari ac secerne potest. *Conf. RVYSCH. & LOEWENH. loc. cit.*

### §. XXIII.

Sed dictum porro fuit in antecedentibus. fluidum hoc secerni e sanguine ex corde in cerebrum adducto, qualis autem iste sit, merito quoque breviter disquirendum est. Perpendentes autem tum perpendicularem ac rectum sanguinis in caput adscensum, cum insignem vasculorum cerebri exilitatem adserere haud dubitamus, istum subtilissimum saltum esse atque defœcatissimum. Siquidem ob adscensum perpendicularem, & vasorum exilitatem crassior sanguis neque ad cerebrum progreedi, neque subtilissima vascula ingredi valet, sed subtiliores tantummodo particulæ, crassioribus ad inferiora determinatis sole ad cerebrum properant, & ex defœcatissima hac parte ob peculiarem cerebri ac vasorum structuram & posteriorum potiss. incurvationem, in cursu suo antea velocissimo paululum retardata, fluidum prædictum spirituolum per poros laterales in tubulos medullares secernitur, & tandem in nervos partim ex medulla oblongata & cerebro, partim cerebello juxta WILL. Anat. Cerebr. Cap. 15. & VIESENIVM Neurogr. Univers. Lib. I. Cap. 10. oriundos distribuitur, ut iisdem mediantibus universi deinceps corporis partes irradiare queat. De Spirituum autem hac secretione Philosophus quidam Gallus a

Cl.

**Cl. WALDSCHM.** in *Instit.* p. 24. allegatus apte atque nobiscum conformiter sentit, quando inquit: *Considerandum est, vividiores & subtiliores omnes partes sanguinis, quas calor rarefacit in corde, ingredi inde sinenter & maxima cum copia cavitates cerebri. Ideo autem eo potius commeant quam alio, quod omnis sanguis, qui e corde egreditur per magnam arteriam dirigat suum cursum recta linea in eum locum, & cum non possit totus ingredi, quia viæ valde angustæ sunt, partes ejus magis agitatæ & subtiliores transeunt sole, dum reliquæ sese diffundunt per omnes corporis partes.* Hæ autem sanguinis partes subtilissime componunt Spiritus animales nec eum in finem ulla alia egent mutatione in cerebro nisi quod ibi separentur ab aliis sanguinis partibus minus subtilibus. Nam quos hic spiritus nomino, nil nisi corpora sunt, & aliam nullam habent proprietatem, nisi quod sint corpora tenuissima; huc usque prædicti autoris verba. Interim tamen ut & ipse statim post hæc verba ibidem sentit Cl. WALDSCHMIDIVS, non autumandum est, præter subtilissimas hasce particulas nullas plane ascendere adhuc alias prædictis crassiores. Cerebrum enim cum itidem indiget nutritione hinc etiam necesse est, ut respetive crassiores cum prædictis subtilioribus insimul adscendant. Ex hisce itaque omnibus patet, fluidum nerveum spirituosum per solam filtrationem ex sanguine puriori in cerebri substantia corticali in medullaris tubulos secerni &c.

#### §. XXIV.

Cum autem quilibet effectus causam presupponat, hinc breviter quoque fluidi nervi secretionis causam delibile necesse erit, quam primario tum in sanguinis in cerebrum adscendentis pressione, cum in cerebri meningum duræ

duræ potiss. matris systolico & diastolico motu consistere arbitror. Quoties enim sanguis ex corde propullus cerebri & meningum vascula arteriosa intrat, eadem expandit, & diastolicum efficit cerebri & meningum expansionem, atque sub hac dilatatione fluidi nervi ex vasis sanguiferis per poros laterales in tubulos medullares mediante filtratione fit secretio. Postmodum vero, quando fibræ nervæ & membranaceæ restitutæ iterum sese systolice contrahunt, fluidum hoc subtile per tubulos medullares in nervos exprimitur, & in universum deinceps propellitur corpus, quod postquam pervasit, per nevro-lymphatica vasa cum lymphâ ad receptaculum chyli, & tandem cum chylo rursus ad cor & sanguinem revertit, denuoque cum ultimo miscetur.

### §. XXV.

Incognita Medicis præteritis temporibus spirituum erat circulatio & corundem regurgitationem fieri sibi persuadebant; Sed recentiorum quorundam solertia, & indecessa in secando diligentia, ex quibus potiss. laudandus VIEVSSENIVS, veræ fluidi nervi spirituosi circulationis viæ detectæ sunt, ut nemo amplius nostra ætate regurgitationem fieri adserat, sed cuilibet existat notissimum, fluidum hoc in cerebro secretum, nervorum intrare canaliculos, & per illos ad quasvis corporis deduci partes, ab iisdem vero cum lymphâ, cuius vasculis nervi in fine suo inserti fluidum residuum infundunt, ad cor redire, & denuo cum sanguine confundi, ut ideo nervi spirituum arteriæ, vala vero lymphatica ad cor remeantia a VIEVSSENIO *vid.* NEVROGRAPH. & HOVIO *Tract.* de circulatione humorum in oculo, nevro-lymphatica dicta venæ nuncupari mereantur.

### §. XXVI.

Cognita nunc fluidi utriusque tam sanguinei, quam ner-

nervosi natura, ac circulo, atque præmissis præmittendis tra-  
etationis ordo exposcit, ut motus progressivi & circularis  
causam, tanquam primarium hujus Dissertationis  
momentum contemplationi subjiciamus, quam me-  
lioris ordinis, & facilioris cognitionis ergo distingue-  
re placet in Causam Instrumentalem & Efficien-  
tem. Instrumentalem constituunt varia Organa quæ par-  
tim sanguini, partim fluido nerveo promovendo inserviunt.  
Ex hisce primo loco memoranda venit musculosa cordis  
machina, quæ sanguinem ex vena cava dextro ventriculo  
infusum systolice sese constringendo per arteriam pulmona-  
le in protrudit in pulmones, & ex iisdem per venam pulmo-  
nalem ad sinistrum ventriculum redeuntem, eodem modo  
exprimit in arteriam magnam. Huic juxta ordinem succe-  
dunt vasa sanguifera imprimis arteriosa, quæ alterna quoque  
sua relaxatione sive expansione, quam pulsus vocamus, &  
constrictione, sanguinem ex cordereceptum premendo ad  
quasvis corporis partes dducunt, & ab iisdem denuo ad  
cor reducunt. Ex organorum sive causarum instrumentalium  
quoque censu sunt Pulmones, qui alternatim collapsi &  
expansi ad sanguinem promovendum conferunt, it. valvulae  
hinc inde in valvis positæ &c. Probe quoque notandæ sunt  
Meninges cerebri tam ratione circulationis sanguinis, quam  
fluidi nervi, quæ motu suo alternante Systolico & Diastoli-  
co utrique propellendo inserviunt, ut apte hinc alterum cor  
nuncupari mereantur. De hisce autem in specie videri pot-  
est SANTORIN. Tract. de struct. & motu fibre & BAGLI-  
VIVS Tract. de fibra motrice & motu meningum.

### §. XXVII.

Ex dictis quidem cognovimus organa, quibus medi-  
antibus tanquam instrumentis fluida prædicta promoven-  
tur; Sed primaria adhuc evolvenda restat Causa efficiens

reciprocae hujus contractionis & restitutionis horum organorum. Istam autem in ipsis fluidis promovendis elasticis, quæ partium istarum percurrent canales quærendam esse censco. Elasticitas fluidorum, causa existit præcipua, quæ alternam ac reciprocam expansionem & contractionem præstat, ita ut pro meo iudicio Liquidum nerveum expansionem comprimat atque moveat sanguinem, & hic vice versa comprimat atque protrudat fluidum nerveum, utrumque ob claterem, quem possidet insignem mutuamque actionem & reactionem in tunicas intermedias. Quid per elasticatem intelligatur ex physicis notissimum est, vis nimirum corporis denuo ac sponte ut simpliciter videtur, post compressionem eamque iterum remittentem se expandendi. Ejusmodi autem elasticitate utrumque nostrum fluidum præditum esse ex præcedentibus constat. Quare etiam ob claterem suum continuo se expandere nititur, & dum se expandit, agit in tunicas, quibus circumdatum est, istæ igitur, dum quaquam res extenduntur quævis contigua, quorum resistentiam sua superare valent pressione comprimunt, ut istorum diametro tantum necessario decedere debeat, quantum priorum diametro accedit.

### §. XXVIII.


Corpus autem universum ex vasculis, sanguiferis potiss. & nervosis (haud exclusis tamen lymphaticis) est contextum, quæ constanter se invicem comitantur, ita ut juxta vasculum sanguiferum semper procedat vasculum nerveum; prius sanguineum, posterius liquidum spirituosum, utrumque elasticum vehit, & licet sanguis mole quidem longe superet liquidum nerveum, ab eodem tamen insigniter rufus superatur activitate ita ut justa ac debita inter utrumque resultet proportio. §. XXIX.

A mutua hinc atque reciproca fluidi utriusque expansione

sione elastica utriusque sequitur motus progressivus, & eo  
quidem ordine, ut sanguis elastice expansus compressum  
protrudat Liquidum nerveum, atque illud deinceps sese re-  
stituens comprimat rursus & propellat sanguinem median-  
tibus tunicis intermediis, aliisque respectu potiss. sanguinis  
organis & instrumentis, quæ in præcedentibus ex parte sunt  
recensita. Sed liceat no bis ad unum ex prædictis organis  
recedere, atque nunc breviter ostendere, a quanam causa  
alternus contractionis & restitutionis motus dependeat, &  
quonam modo peragatur. Musculosam cordis eligere pla-  
cket machinam, in qua præcipue reciprocum istum motum  
systolicum & dyastolicum dictum deprehendimus, eumque  
quibusvis rationaliter pensitatis a dupli nostro fluido deri-  
vandum esse colligimus, ea tamen differentia, ut sanguis di-  
astolen, fluidum nerveum vero systolen efficiat. Qvando  
enim sanguis ex sinistro cordis ventriculo in systole expref-  
sus in arteriam magnam, vi quadam in latera ejusdem irru-  
endo ex parte intrat arteriam coronariam statim sub valvu-  
lis semilunaribus ortam, vasa coronaria, latera premendo  
expandit, comprimit contra hoc modo vicina atque inter-  
media vascula nervosa, hinc ista relaxantur & a sua constri-  
ctione necessario proinde remittere coguntur; Sed paulo  
post ob insignem suam elasticitatem restituitur fluidum ner-  
veum & vasa sua expandit quam expansionem necessario  
deinceps augmentum eorundem respectu latitudinis &  
crassitie, & abbreviatio s. imminutio respectu longitudinis  
& per consequens quoque cordis constrictio subsequitur, &  
hoc modo machina cordis relaxata reciproce & contracta  
modo Diastolen modo Systolem suam experitur.

## §. XXX.

Maxima autem sanguinis quantitas progreditur in arte-  
riam magnam, quæ eundem in duos ramos majores divisa,



partim ad partes superiores capitis, partim ad inferiores ducit. Quælibet autem arteria juxta recentiores Anatomicos quinque gaudet tunicis, vasculosa nunc. cellulosa, tendinea, musculosa ex fibris annularibus quasi tendineis juxta D. D. HEISTERVM &c. constante, & nervea. Tunicæ hæ præ-primis autem musculosa ac nervea primario irradiantur a fluido nerveo, idque expansione sua elastica causa existit, ut fibræ abbreviatæ contrahantur, & sanguinem in arteriis & venis contentum promoveant. At sanguis compressus tum ob elasticitatem, cum ob novam a tergo subsequentis pressionem se rursus restituendo, atque in latera vasorum vim suam exercendo, eadem rursus extendit, ut ideo necessario fibræ musculares & nerveæ contiguæ ac cingentes vasorum comprimi, relaxari & remittere debeant, & fluidum in illis contentum promoveri.

### §. XXXI.

Exinde igitur haud inepte concludi potest, nervos itidem gaudere pulū, pariterque habere motum systolicum & diastolicum, eo tamen ordine ut pulsus nervorum & arteriarum &c. siat reciproce, h.e. quando nervi diastolice expanduntur, contrahantur systolice vasa sanguifera, & vice versa, licet motus hic reciprocus in nervis ob vasorum exiguitatem, fluidique inibi contenti paucitatem, atque spirituosam indolem non persentiatur. Interim certum est, sanguinem elasticum expansum in proprias suas tunicas ex subtilissimis vasculis contextas agere, hasce deinceps in subtilissima fluida in iisdem contenta, & hæc vice verla denuo expansa reagere iterum in tunicas, easdemque rursus in sanguinem. Quoties enim posteriora intumescunt, augmentur crassitie, minuuntur contra longitudine, vasa hinc sanguifera, quorum tunicas insimul constituunt, necessario contrahere debent.

### §. XXXII.

## §. XXXII.

Sed sequimur nunc sanguinem ad caput & cerebrum potissimum adscendentem. Hic cerebrum non solum sed piam quoque ac duram intrameningeum ob auctam in corde &c. elasticitatem, atque insignem communicatum impulsu, fibrarum nervearum superando resistentiam vasa in cerebro & duplii hac membrana expandit, & dilatat, ut hoc modo non solum fluidum nerveum jam secretum, atque in cerebri æque ac meningum nerveis fibrillulis existens promoveatur, sed novum quoque ex sanguine per porulos laterales necessario exprimatur in tubulos medullares. - Fluido hinc nerveo spirituoso in meningum fibris contento nova additur quantitas, atque novus communicatur impulsus, ut sese ideo partim ob hanc causam, partim ob proprium elaterem restituendo, ac fortius in latera tunicarum agendo, meninges contrahere, cerebrum compri- mere, & fluidum nerveum non tantummodo in nervos validius adigere ac promovere, sed sanguinem etiam premendo per exilis- sima cerebri vascula propellere valeat.

## §. XXXIII.

Ut dicta quoque magis reddantur perspicua, notandum est. in vasis utrisque tam sanguiferis, quam nerveis, dum semper unda undam trudit, priorem succedenti aliquantulum vi gravitatis resisteret, ut totus proinde partis subsequentis impetus ac pressio haud impendi queat in partem præcedentem, sed ex parte quoque determinetur & agat in latera vasorum sive tunicas, ut eorundem ideo augatur diameter. Quando igitur major impetus ac pressio continget in latera vasorum, quam in fluidum prægressum a fluido in sequente vasa necessario expandi & eorundem subsequi debet diastole; Remittente vero hoc impetu ac pressione particulæ rursus ad pristinum redeunt contactum, & vasa suam habent systolen. Ab alternante igitur validiori fluidi nervei, & sanguinis, (quæ sibimet inviceni novum communicant impulsu,) in suos canales influxu partium quarumvis Diaстole & Systole derivandæ sunt. Siquidem in corpore universo mutuus hic nitus & renitus inter fluidum nerveum & sanguinem observatur, ita ut quasi bilancem in motum æqualem aetiam referant, h. e. ut jam saepius dictum, fluidum nerveum ex-

pansum ob novum impulsu[m] in cerebro communicatum pressione sua sanguinis superando resistentiam, comprimat eundem & promoveat, & sanguis vice versa ob acceptum novum a corde impulsu[m], rursus vincat resistentiam fluidi nervae, idemque protrudat,

### §. XXXIV.

Quæstio autem nunc moveri posset, quinam in embryone prior fuerit, motus sanguinis, an fluidi nervei? Sed antequam meam ad hanc quæstionem proferam responsonem, quædam necessario prænotanda erunt de Generatione, quam non generationem, sed augmentationem saltem dicendam esse arbitramur. Siquidem præ cæteris istorum nobis arridet sententia, qui integrum Embryonem ante imprægnationem jam dudum quoad prima rudimenta latere in ovulo adserunt, & vitam quasi vegetativam agere, hoc est tanquam aliam matris partem simpliciter saltem a fluidis maternis nutiri, quo paululum tantummodo augeatur & maturescat, nec omni alias alimento destitutus rursus consumatur. Hinc porro etiam arbitrantur, in concubitu fœcundo necessarium tautummodo esse, ut exigua hæc machinula hominis, quæ ob summam partium subtilitatem, visui nondum subjicitur, per spiritum seminalem parentis ovulum intrantem in primum agatur motum animalem. Quælibet igitur membra ante imprægnationem jam dudum adesse censendum est. Siquidem & *HIPPOTRATUM* jam olim hanc sententiam quodammodo foviisse ex *Lib. I. de Diæta* videndum est, ubi inquit: *Discernuntur & augmentur omnia membra simul, non alterum altero prius aut posterius; Quæ tamen natura sua majora, minoribus pri- ora conspiciuntur, licet non prius genita sint.* Hippocrati consentit quoque *SCHWAMERDAMIVS Lib. Mirac. nat. p. 21.* His ergo, ibi disserit, quæ de ovo diximus, suppositis, nullus mihi generationi, sed soli propagationi vel incremento locus esse videtur. Et post pauca: *Hinc perspicue patet, qua ratione Levi longe ante nativitatem suam decimas soluisse dicatur, cum proavo suo Abrahamo occurreret Melchisedecus; Nimirum in lumbis parentum suorum erat, & omnes animalis partes ovo insunt.* Et, (pergit) ipsius etiam originariæ corruptelæ fundamentum jam in eruditissimi viri (D. Joh. van Horne) judicio, cui conatus & experimenta nostra subinde patent, iam

jam inventum esset, cum quidquid est hominum, in lumbis Adami & Evaæ occlusum fuerit. Quibus ceu necessarium consequens abjungi posset: *Exhaustis his ovis humani generis finem adesse.* Eidem quoque sententiæ addicti fuerunt *MALPIGHIVS* *Diff. de Format. pulli in ovo,* & *JOSEPHVS de Aromatariis in Epist. de Generat. plantar. ex seminibus;* De ovis Gallinaceis enim in fine ejusdem Epistolæ scribit: *Existimamus, pullum in ovo delineatum esse, antequam foveatur a Gallina.* Et credimus augeri a calido materno, non solum tanquam a foyente, verum partim etiam a materia nutritive, quod et aliis quibusdam animalibus ab aere commune contingere putamus Sc. Sententiæ huic vulgo quidem præter alia, stupenda objicitur subtilitas, sed cuivis, qui ex physicis corporum subtilitatem ac divisibilatem cognitam habet atque perspectam, hæc quoque subtilitas impossibilis nunquam videbitur. Sed mittimus hæc, multa enim de iis dicere jam extra nostrum est institutum; Dicta hinc sufficient.

### §. XXXV.

Hisce itaque præmissis, quibus sententiam de integra machina embryonis jam in ovulo delitescentis quoad prima rudimenta, & vita quasi vivere vegetativa proposuimus, ad quæstionem superius propositam paucis nunc respondemus, fluidum nerveum sanguine prius in motum majorem & animalem adigi. Ante ovuli enim fœundationem in embryone adhuc in ovulo delitescente pauca adeat sanguinis in arteriolis & venulis, nec non fluidi spirituosi in nervulis quantitas a sanguine & liquido nerveo matris decidua, tanquam saltem, ut machina exigua conservari, & cum crescente matre paululum quoque increscere queat. Quando vero in concubitu fœundo elasticus ac seminalis Spiritus patris cum Anima rationali ovulum intrat, pristini fluidi quantitas non tantummodo augetur, sed validius quoque ob vim pristinæ superadditam moveri incipit, hinc per consequens etiam fortiorem hunc fluidi nervei motum fortior statim subsequitur sanguinis motus, major adfluxus ex vasis maternis & partium distensione, unde fit, ut ovulum imprægnatum intra paucos dies ita intumescat ut ab ovario decerptum per tubas fallopianas protrusum tendat ad cavitatem uteri, ibique mediante placenta ad crescere, & ulterius deinceps augeatur.

### §. XXXVI.

## §. XXXVI.

Primum igitur motum animalem Spiritus sensinalis patris exiguae machinæ imprimit, qui tamdiu deinceps durat atque continuat, donec machina rursus per mortem destruatur, & eo quidem ordine, ut duo hæc fluida primaria & elastica reciproce sese extendant, ac comprimantur. Anima rationalis corpori donata languidiorem subinde redditum horum fluidorum motum per voluntarias motiones sæpiissime quoqne iterum excitat; Excitatur itidem quotidie per alimenta ingesta, quæ novam suppeditant materiam, & multum novi elastici aeris secum sanguini &c. inferunt, unde deficiens materiæ quantitas & elasticitas restituitur, nec non utraque magis interdum augetur. Accedit quoque in iam natis respiratio, qua mediante per aeris gravis atque elastici ingressum prædictis fluidis potiss. sanguini novus additur impulsus. Variæ hinc insimul adsunt cauſæ secundariæ, quæ ad motum horum fluidorum progressivum &c. conferunt, interim tamen sola utriusque fluidi elasticitas, & reciproca hinc & alterna expansio s. mutuus nisus, & renisus pro causa primaria promotionis ut reputentur necesse est.

## §. XXXVII.

Multis nunc quoque recensenda & explicanda esset Utilitas, quæ ex duplicitis hujus fluidi motu progressivo &c. in machinam humanam redundat. Sed ne destinatas huic tractationi limites transgrediamur, breviter saltem addimus a motu fluidi utriusque (haud tamen exclusis aliis) & justo ac naturali inter utrumque motus æquilibrio juxta PITCARN. in *Element. suis*, & BERGERVM in *Diss. de Vita & Morte*, vitam maxima ex parte dependere & sanitatem, & ab hoc motu sensus, motus alios, calorem nutritiōnem, nec non se- & excretiones, aliaque derivanda &c. Turbato contra hoc motus æquilibrio varios gigni morbos, & plane sublate ipsam ingruere mortem, uti quælibet hæc adserta multis a ratione & que atque experientia desumptis probari possent. Sed evitandæ tardiosæ prolixitatis ergo pedem hic figimus atque Deo benignissimo pro singulis beneficiis gratias agimus humiliimas & devotissimas.

T A N T V M.